doctores. Dicunt enim quidam sine confessione oris et satisfactione operis
neminem a peccato mundari si tempus faciendi illa habuerit. Alii vero
ante oris confessionem et satisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti
adeo si tamen votum habeat confitendi. Unde propheta: Dixi confitebor
adversum me iniustitiam meam et tu remisisti impietatem peccati mei.
Quod exponens Cassiodorus ait: Dixi, id est apud me delibe-
ravi quod confitebor, et dimisisti. Magna est pietas dei quod ad
solam promissionem peccatum dimisit. Votum enim pro operatione iudi-
catur. Item Augustinus super eundem locum: Nondum pronuntiat sed
promittit se pronuntiaturum et deus dimittit, quia hoc ipsum
dicere quodammodo pronuntiare est in corde. Nondum est vox in ore
ut homo audiat confessionem, et deus audit. Item sacrificium
deo spiritus contribulatus etc. Alibi etiam legitur: Quacumque hora
peccator ingemuerit vita vivet et non morie-
tur. Non dicit ore confessus sed quacumque ingemuerit. Unde datur
intelligi quod etiam hore tacente veniam interdum consequimur.
Hinc etiam leprosi illi quibus dominus precepit ut ostenderent se sacer-
dotibus in itinere antequam ad sacerdotes venirent sunt mundati. Ex
quo innuitur quod antequam sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est
peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur. Lazarus etiam
non prius e monumento est eductus et post ad vitam suscitatus prodiit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_334/0116

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG